

NALDI (Naldo)

HASTILUDIUM (425 vers)

HASTILUDIUM

VEL CARMEN DE LUDICRO HASTATORUM EQUITUM CERTAMINE

AD IULIANUM MEDICEN IUVENEM CLARISSIMUM



Julien de Médicis, par Raphaël

v.1 Semper ut ante mihi meritis pro grandibus in nos,
 2 Musa domus Medicae, dederas cecinisse paranti
 3 auxilium, quotiens volui memorare parentem
 4 Florentis patriae Cosmum natosque parentis
 5 consimiles, quotiens aut sum Laurentia facta
 6 ausus vel tenui quondam describere versu,
 7 sic rogo nunc itidem spires mihi, Diva, petenti
 8 rursus opem, Janus dum quae gerit ipse canemus.
 9 Est locus Etrusca penitus campestris in urbe :
 10 hic, ubi se tollit templum sublime columnis,

11 inque Crucis nomen celeberrima sacra coluntur,
12 ante gradus templi spatio patet area quadro,
13 quam circum variaequae domus variique Penates
14 Tyrrhenis constant : huc se, cum ludicra Lydi
15 exercere volunt acris certamina Martis,
16 consuevere quidem nitidis conferre sub armis :
17 nam datur ad ludos illic locus amplus habendos
18 ingentis caveae, tignis quam saepta subactis
19 in terram faciunt tabulis contexta refixis,
20 forte tridentatis ne Mars dum fervet in hastis
21 civis ab impulsu quisquam laedatur equorum.
22 Praeterea nobis quoniam repetatur origo
23 militibus Sullae deducta ferocibus olim,
24 mos nostra ut veterum servetur in urbe Quiritum,
25 omnibus inde viris spectare volentibus acrem
26 hastatorum equitum pugnam, tabulata parantur
27 in declive quidem, Romani more theatri,
28 ad caveam, possit populus quo rite tueri
29 proelia, quae Tusci (tanta est sibi gloria curae)
30 pro pulchro inter se cives meditantur honore.
31 Jamque dies aderat ludis celebrandus, et amplum
32 luce sua Phoebus radiisque retexerat orbem ;
33 jamque gradus magni, jam longa sedilia circi
34 complerat populus Florens, jam venerat illuc
35 spectandi studio plebs innuptaeque puellae,
36 matres atque nurus, pueri et longo ordine Tusci
37 convenere patres et Florentina juvenus ;
38 necnon et multi, tantae quos gloria pugnae
39 famaue finitimos cierat, venere frequentes.
40 Jamque magistratus Sullana primus in urbe,
41 atque novem, condit Tuscis qui jura, viratus
42 fascibus imperii pompaue insignis honesta
43 huc se contulerat, circo mediumque locarat
44 protinus a podio spectaret ut ille feroces
45 Tusci quanta cient belli simulacra sub armis,
46 cum gemini in campum fratres venere priores,
47 ambo virginea facieque comaque decori
48 prorsus Apollinea, paribus qui viribus ambo
49 ceu duo torrentes olim pluvialibus undis,
50 cum tumidi recidunt subito de montibus altis :
51 Ruberti genus egregium, qui castra Leonis
52 dum sequitur Lydi, Florentia lilia quondam
53 rebus ut egregie gestis tulit acer honores.
54 Protinus insequitur clara de stirpe nepotum
55 quem Gonzaga domus genuit, Ridolfus, in auro
56 effulgens, magna juvenum comitante caterva,
57 qui licet insignis forma micet unus in omnes,
58 ludicra non tamen huic vires in bella ruenti
59 defuerant homini, palmam nisi livida saepe
60 quae solet esse viris, certent quo fortius illi,
61 fortibus optatam fors tunc inimica negasset ;
62 nam, decus ut summum generis patriumque nitorem
63 obmittam, et varias auri sub tegmine vestes,
64 consilium fuerat non se dare velle quieti
65 optatae, nullos aut evitare labores,
66 ni prius inde sibi per te, Fortuna, liceret

67 e binis aliquam pugnando attingere palmam ;
68 sed nihil invitis fatis sperabitur ulli.
69 Tertius ingrediens aciem campumque patentem
70 Stupha venit, gemina pariter cui surgit ab aure
71 ala, sed in morem cristae. Caput infula summum
72 ferrea circumdat, penitus quae fronte sub ipsa
73 prominet, et forma paulum se attollit acuta ;
74 caelatusque draco galeam conumque tegebat
75 aureus, et geminas late qui panderet alas,
76 flaret et horribiles ab aperto gutture flammam.
77 Hoc tu si videas habitu prodire sub armis
78 egregium nitidis juvenem, videaris ab alto
79 cernere Gradivum quotiens descendit Olympo
80 in terras ! Stupham bissemi rite secuti
81 sunt juvenes : alis fuerat cristatus utrimque
82 quilibet illorum, vestesque indutus easdem,
83 quas olim duos tunc cum ferus ibat in hostes
84 armatus rerum populus Romanus habebat.
85 Est operae pretium, virides ut cuique colores
86 squameus incendit partes variatque per omnes
87 splendor, et ut vestis radianti fulgeat auro
88 prorsus, et appositis veluti riget ordine gemmis,
89 cernere, ut ex humeris geminas dependet in alas.
90 Nec mora ; subsequitur fraterna Bosculus arte
91 confisus magis et monitis in bella severis
92 ludicra quam comitum pompa vestisque nitore.
93 Proximus huic graditur juvenis Soderinus in omnes
94 et formae meritis et nobilitatis avorum
95 effulgens, cui se Venus aurea protinus uni
96 obtulit, atque suos nascenti afflavit honores.
97 Quid referam varias baccis auroque nitenti
98 vestibus intextas formas, quibus ordine longo
99 ornati juvenes Paulum comitantur euntem ?
100 Quantus et alipedum qualisve ornatus equorum
101 exstiterit Phrygia quae textae ex arte figurae,
102 vix meminisse queam ; sed, si, Cytherea, canentem
103 juveris, expediam veluti tuus acer alumnus,
104 vectus equo celeri et pulchris spectabilis armis,
105 prodiit insultans in apertos undique campos.
106 Namque premens nigrum baccato murice crinem
107 ridenti facie, ridenti gratus et ore,
108 atque tui monitis Gradivi edoctus amicis,
109 huc venit, alma Venus, cum te deus ille libenter
110 excolat, atque tuis quae sint placitura facessat.
111 Non te transierim, numeros memoranda per omnes,
112 Nerlia progenies, pugnam subitura ferocem
113 post hunc, utque nova fueris pietate tuorum
114 octo quidem fratrum cultus, carive parentis,
115 ad ludos Martis cum te, Benedicte, futuros
116 quilibet ex illis fuerit comitatus ovantem.
117 Dicere quis celerum vestes modo possit equorum
118 argento illusas nitidisque ex arte lapillis ?
119 Quis summum clipei possit memorare nitorem ?
120 Defuit haud pugnae scutulatis vestibibus ille
121 insignis gemmis fulvoque ardentibus auro,
122 quem Morella domus genuit, cui deinde sub hastis

123 praecedunt comites ingentibus ordine longo
 124 bissenii, similem vestem similesque galeros
 125 gestantes, flavus quibus est color omnibus idem.
 126 Post hos invictas vires animosque feroces
 127 Pictius ostentans monstrat, validosque lacertos,
 128 non secus ac leo, cum Getula e gente superbus
 129 perque greges fertur perque agmina densa ferarum.
 130 Nam licet ornatus juveni satis esset honestus
 131 pugnanti, fulvo vestisque nitesceret auro,
 132 non tamen hoc fretus, sed duri Martis amore
 133 succensus potius, quam ratione per artem
 134 sumeret intra se pulchros agitabat honores.
 135 Hinc hastas virides et forti robore lectas
 136 accipit, ille quibus sese ferat acer in hostes,
 137 quos ita confodiens duro ferus ille tridenti
 138 territet, ut palmam liceat sibi ferre secundam.
 139 At Petrus Albertus caveam se jactat in omnem
 140 quam multos equites ducens, neque cedit honori
 141 illorum, primis qui jam venere sub armis.
 142 Nam quibus ut taceam scutulatis venerit ille
 143 ornatus, socios quos duxerit ille feroces,
 144 tot juvenes ierant depictis vestibibus auro
 145 purpureisque notis, regalis ut ordinis omnes
 146 esse putes. Illis igitur comitantibus, ipsam
 147 ingrediens aciem, regum ostentabat honores ;
 148 sed fors laeta parum tristi supereminet umbra.
 149 Necnon et pugnam subiens Mancinus eandem
 150 Martis in hostiles ludos se rite parabat,
 151 cui neque jam vestes auri sub tegmine desunt
 152 intextae. Peditum vestigia pone sequentum
 153 copia magna fuit : quin ludicra castra petentem,
 154 qui ferrent hastas equitum novus ordo tridentes
 155 praecedebat ovans, habitu similique decore.
 156 Petre, quis indictum te, Guicciardine, relinquat ?
 157 Quae tua cura fuit, ne te superaverit ullus
 158 aut peditum numero, aut equitum subeunte caterva ?
 159 Vidimus haerentes lateri volitare ministros
 160 complures, celebras cum Martia castra, feroces
 161 laeserit ad pugnas ne quis te casus euntem.
 162 Quid dicam comites hastilia longa gerentes,
 163 aut quid sericeas vestes nitidosque galeros ?
 164 Est mora supremam quam sint haec structa per artem
 165 dicere, sed, quamquam pulcherrima quaeque fuerunt,
 166 omnia, quae ludis geris ornamenta futuris,
 167 pulchrius inde tamen quam te nil vidimus usquam,
 168 cum tu vectus equo, mira quem texerat arte
 169 caelatum argentum, et nitidis conspectus in armis,
 170 in te, Petre, unum converteris ora videntum.
 171 Hos super advenit Medica de stirpe creatus,
 172 agmen agens equitum Janus longasque phalanges ;
 173 namque novem primi, qui tum simul aere canoro
 174 atque tuba veterem Misenum evincere possent,
 175 aera mulcentes liquidis clangoribus altum,
 176 vestibibus effulgent in versicoloribus omnes.
 177 Hinc bene quo possis victricia dicere signa
 178 Pallada conspicies spectantem in lumina solis,

179 atque hastam manibus scutumque insigne gerentem
180 Gorgonis anguiferae, pedibus quae diva pudicis
181 calcat, iter faciens, tremulas castissima flammis.
182 Hic tu non tenerum quicquam neque molle videbis,
183 sed Veneris natum manibus post terga revinctis,
184 haerentem trunco teretis, ni fallor, olivae
185 viribus effractum victricis in omnia divae.
186 Armigeri galeas gestantes rite sequuntur
187 hinc duo, quas capiti induerent, quos Janus in arma
188 accensos Medices insani Martis amore.
189 Auspiciis equites paribus, nova castra petentes
190 velatos priscis Medicum rationibus ambos
191 struxerat, ut secum certamina tanta subirent.
192 Quid referam lectos de nobilitate suprema
193 hastatos juvenes nil magnae laudis egentes ?
194 Quid genus illorum diversaque nomina ponam ?
195 Primus ibi in tanto prodiit Nicolaus honore,
196 quem Rabatta domus genuit ; cui nomine surgit
197 par quoque sed forma longe praestantior ipsa
198 Pactius ; inde subit juvenis Martellus in omnes
199 effulgens ; post hunc sequitur Zenobius, altum
200 cui genus, et generis cui Berlingherius auctor ;
201 hinc venit egregia genitus de stirpe Caponum
202 Ginus, avis atavisque potens : quantum instar in ipso
203 majorum, priscos imitando quantus et ardor !
204 Proripit inde locum Thomas Federicus ; at ipsum
205 subsequitur Marcus pariter Vespuccius ille,
206 ordine cui Petrus pater est insignis equestri ;
207 post hunc Bertuldi genus alto a sanguine ducens
208 Corsini graditur, Corsina e gente Philippus ;
209 nonus at insequitur Michael Nicolinus, et altos
210 ostentans humeros, patrum quem nomen Othonis
211 efficit insignem ; decimus Leonardus inhaeret
212 Frescobaldus ovans hastae, vibratque trementem ;
213 cernitur hastiferos post hunc Petrus inter honestos
214 Antoni genus egregium ; loca rite suprema
215 Salviatus tandem suscepit in ordine tanto.
216 His ferrugineo vestis madefacta colore
217 omnibus una fuit, ritus imitata per artem
218 Gallorum, densisque pari super ordine baccis
219 depicta et pariter simili contexta decore.
220 Hic fractos arcus, hic fracta Cupidinis arma
221 undique conspicies pharetras celeresque sagittas,
222 ne queat ille puer, veluti solet ire per omnes
223 mortales, facibus Medices violare pudicos.
224 Vidimus hos etiam capiti gestare galeros
225 fulgentes baccis longe tam grandibus omnes
226 Lydorum summos ut quisque aequaret honores.
227 Inde pari numero duodeni cuique parati
228 inspectantur equi, candor quibus omnibus idem,
229 Gallorum phaleris sed quisque instratus eisdem
230 et fuit et pariter fulvo spectabilis auro.
231 Necnon hinc habitu Medices ornatus eodem
232 Petrus adest, puerum patri quem mater ab alta
233 urbe Remi veniens sub luminis edidit oras.
234 Hos tres arte leves tibias inflare periti,

235 atque vir intorto pariter qui concinat aere
 236 subsequitur. Puer hinc aurato comptus amictu,
 237 cui foret intextus falco, foret aureus ardor,
 238 considet acer equo, similem qui forte gerebat
 239 ornatum dorso ; centeni ac luminis Argi
 240 pennarum variis quae picta coloribus esset
 241 fert hastam manibus teretem. Cui proximus alter
 242 rursus equo vehitur, necnon puer armiger idem
 243 in ferruginea conspectus veste per artem
 244 cui maneant Phrygiam variis simulacra figuris
 245 texta super tergum : nam quo victricia certe
 246 dicere signa queas, pharetras celeresque sagittas
 247 et fractos arcus et fracta Cupidinis arma
 248 undique conspicias in equi contexta decorem.
 249 Hic igitur saevum pharetratae matris alumnum
 250 haerentem trunco et manibus post terga ligatis,
 251 vestibus amotis, nudumque gerebat Amorem
 252 ad conum Medicis, quem dum comitatur euntem
 253 saepius in vulgus, clara magis omnibus unum
 254 victorem Pallas praedixit voce futurum :
 255 et dubitem numeris Medicen gravioribus ipsum,
 256 si modo Musa sinat, Latias ego ferre per urbes ?
 257 Tertius insequitur juvenis, cui fulget amictus
 258 purpureus, splendensque jubas attingit equinas
 259 orbe quidem solis radianti ; terga sed idem
 260 sol superingrediens radiis illustrat acutis,
 261 e baccis textos ut quos majoribus omnes
 262 auratus partes sol diffundebat in imas ;
 263 herba sed inferior contexta in parte suprema
 264 exstitit, ad rapidum quae volvitur undique solem.
 265 Ordine dehinc veniens superest puer armiger is, quem
 266 portat equus sonipes, primum cui colla Medusae
 267 frons tegit anguiferae, cui rursus obesaque terga
 268 altera frons operit, summam caelata per artem.
 269 Ille super galeam similes indutus amictus
 270 gestat olorinas pennas, quibus optimus augur
 271 edocet ut sacri jam sint sua facta poetae
 272 dicturi, Medices, totum celebranda per orbem.
 273 Post, habitu Gallo compti, quis murice tincta
 274 interior vestis Tyrio fuit, insuper auro
 275 quos tegit, et flamma vestis radiata nitenti,
 276 arte quidem summa Corybantia tympana pulsant,
 277 tympana, quae Phrygia Berecynthia mater in Ida
 278 pulsari voluit, ne quis vagitus ad auras
 279 de Jove sublatus patrias penetraret in aures.
 280 Post illos Medices divino Janus honore
 281 tandem progreditur peditum subeunte phalange ;
 282 attonitis inhians animis, stupet omnis in illo
 283 Sullanus, stupet et si quis spectator ab oris
 284 huc tulit extremis sese : namque ire videbat
 285 egregium meritis juvenem nova castra petentem
 286 protinus ad pugnas animis et mente paratum,
 287 ut sibi vel liceat vincendo attingere palmam,
 288 eligat aut pulchrae certando occumbere morti.
 289 Hic, Erato, tribuas, aut tu mihi, pulcher Apollo,
 290 rursus opem, spirans, Medices quibus ille sub armis

291 venerit, aut quales gemmis auroque rigentes
 292 gesserit huc vestes. Quis enim tot magna referre,
 293 Musa, queat sine te, vel tu nisi, pulcher Apollo,
 294 juveris auxilio ? Quem dives Apulia misit,
 295 vectus equo, duros cui quod ferus iret in hostes
 296 urso nomen erat, Medices fulgentibus armis
 297 se tulit in medium. Tantis adamantibus illi
 298 fulgebat textum scutum, tantisque lapillis,
 299 ut quicquid reges Persae tenuisse feruntur
 300 congessisse putes, maris aut quaecumque sub ima
 301 parte quidem gemmas inter pretiosa nitentes
 302 bacca latet, quicquid partes attingit Eoas.
 303 Forsitan inquiras habitum, quo Janus in arma
 304 prodierit Medices : subnigro murice tineta
 305 Gallica vestis erat, tam claro adamante corusca,
 306 tam nitidis late, tam grandibus undique baccis,
 307 fulgorem ut nulli possent tolerare videntum.
 308 Inde teres capiti confecta ex arte corona,
 309 e florum variis quae picta coloribus esset,
 310 rite premit crinem fulgenti ornata pyropo
 311 dumtaxat, sed qui splendens superare micantes
 312 flammam luce sua et fulgentia sidera posset.
 313 Ast equus in tergo velamina texta per artem
 314 fert, picturatum vestem, cui fimbria late
 315 argento e solido dat tintinnabula circum.
 316 Hinc paulo supra vesti quoque truncus inhaeret
 317 contextus baccis longe gravioribus, e se
 318 ardentes liquidum qui spargat in aera flammam ;
 319 at, qua parte humeros contingit obesaque terga,
 320 bina simul magni serpentis jungitur ala
 321 usque patens late partes quae tendit in ambas
 322 cum baccata nimis, tum qua nota cernitur alae
 323 nigrior ; hac splendor summus quoque parte resultat,
 324 in gyrum positus oriens longo ordine gemmis.
 325 Qui comites hominis vestigia pone sequuntur
 326 a tergo, qualesque viri, quantusque per illos
 327 it favor in Medicem ? Quis ei prior astat eunti ?
 328 Quis nitor est oculis ? Aut quae reverentia vultus ?
 329 Huc geminas, huc flecte acies, spectator, ut acri
 330 cernas arte virum, patrias qui temperat urbes,
 331 Sullanasque domos Sullanae moenia servat.
 332 Hic novus, ut spectas, hic est Laurentius heros,
 333 cujus et ingenio, cujus virtute suprema
 334 condita jam Latiis nunc aurea saecula dabuntur.
 335 Hoc duce non hostes metuat Florentia duros,
 336 hoc duce sed populis condens pia jura per orbem
 337 proferat imperium. Victor modo frater honores
 338 hoc duce suscipiat, ni me Tritonia Pallas
 339 et nimbo fulgens divino et Gorgone saeva
 340 decipit. Hanc vidi fidam certantis ad aurem
 341 dicere : "Si primam cupias attingere palmam
 342 consiliis pare, quae nunc Laurentius acres
 343 en dabit in pugnas frater tibi, Jane, ruenti".
 344 Dixerat, et specula signum dedit acris ab alta
 345 pugnandi, et validam Medicem direxit in hastam,
 346 quo ruat adversos pugnam subiturus in hostes

347 doctior ; at contum Medices consurgit in ipsum,
 348 inque caput frangens hostis qui a fronte ruebat,
 349 proicit insultans ; ferit aurea sidera clamor
 350 plaudentum atque uno Medici simul ore faventum.
 351 Tunc vero ingeminans ictus, aliasque resumens
 352 hinc hastas iterum atque iterum defertur in agmen.
 353 Nec dea certanti procul abfuit ; inde per artem
 354 admonet egregiam fratrem Laurentius, ut se
 355 et gerat et pugnae possit superare labores.
 356 Parte alia gravibus consurgens Pictius armis,
 357 protinus arte petens quicumque fit obvius illi,
 358 rarior in jactu sed durior ictibus astat.
 359 At Petrus hinc, pugnam fatis ingressus iniquis,
 360 defertur medios tamquam ruiturus in hostes,
 361 ut qui vel suavem, dum Martis castra suburget,
 362 insigni cuperet vitam pro laude pacisci.
 363 Inde ferox juvenis cum sese in bella parasset
 364 ludicra nec Martis casus horreret acerbos,
 365 concidit in mediam longe miserandus harenam
 366 nam dum fortis equi subitis calcaribus alvum
 367 confodit et nimium cursuque ictuque fatigat,
 368 en, eques invidia motus seu forte ruebat,
 369 tristia seu miseri juvenis sic fata ferebant,
 370 invectus contra, cervicem fixit equinam
 371 cuspede ferrata : quo vulnere sanguis adactus
 372 spargitur et totam circi maculavit harenam.
 373 Adcurrunt subito famuli celeresque ministri,
 374 certatim Petrumque simul nituntur ab ima
 375 tollere humo ; sed equus graviter confossus inhaeret
 376 mole sua gravior, tum vulnere tardus hianti.
 377 Heu, quos hic gemitus, quantosque per aera gyros
 378 edidit in cassum moriens ubi colla lupatis
 379 solverat, et loris passim datur ire solutis !
 380 Non secus ac sicca in testa cum forte videmus
 381 defecisse oleum atque semel concreescere flammam
 382 ingentem et subito casu simul inde minutam
 383 extinguere penitus tenuesque recedere in auras.
 384 Nam grave cum mediam cuspis penetrasset acuta
 385 cervicem, duroque haesisset in ossa tridenti,
 386 vidi ego dum saevum cupit excussisse dolorem
 387 saepius edentem miseros tot aequore saltus,
 388 post, ubi jam campum satis est bacchatus in omnem,
 389 concidere et validas cum sanguine fundere vires.
 390 Nerlius hinc juvenis, quamvis sit corpore parvus,
 391 mente valens tamen, hastatos se jactat in omnes
 392 saepius hinc habitu nitidisque ferocior armis
 393 Stupha subit, cui tunc ni fors inimica fuisset
 394 in finem coeptam potuit traducere pugnam :
 395 namque bonus bello teretem dum suscipit hastam
 396 arte ruens validum contra subiturus in hostem,
 397 obvius, ecce, gravi petis hunc, Soderine, tridenti
 398 usque adeo feriens ut jam nec proderit illi
 399 quam capiti induerat galeam, septemplique ferro
 400 quae fuit, et chalybis conflata e robore duri,
 401 quominus hanc equitans Stupham dum surgis in acrem
 402 viribus indomitis conto terebraris acuto ;

403 unde fit ut capitis validis detectus ab armis
404 non vires solitas queat exercere, nec ipsum
405 possit in extremum fortis durare tenorem
406 Stupha, nec ut statuit pugnae tolerare labores.
407 Inde micans auro et Tyrio conspectus in ostro,
408 Mantua quem genuit, paret cui Mantua regi,
409 crebrior agmen agit conto culpatque morantes.
410 Ast Morellus equum domitans certamen ad ipsum
411 saepe redit pulchrumque mori putat esse sub armis.
412 Ergo ubi per pugnam coepit saevire ferocem
413 Mars gravis, et teretes violentior exit in hastas,
414 franguntur conti ingentes, franguntur et ipsa
415 scuta virum : galeae valido curvantur ab ictu,
416 atque acres sternuntur equi : furit aequore campi
417 Mars ferus aeratos acuens in bella tridentes.
418 Nec mora nec requies, dum quem praedixerat olim
419 affore victorem Pallas magis omnibus unum,
420 insignem Janus victricia signa reportat.
421 Pictius inde capit palmam sibi forte secundam,
422 cui satis in pugnam Mavors favisset eunti.
423 Et jam finis erat, Medices cum Janus et omni
424 susceptum caveae consensu ingentis honorem
425 sustulit, et Medices auxit virtute triumphos.